DE

ACTIONE VICARIA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIX. MENS. AUGUSTI A. MDCCCXXXIII.

H. L. Q. S.

PALAM DEFENSURUS EST

AUCTOR

LUDOVICUS BEGASSE

UBIO - COLONIENSIS.

OPPONENTIBUS:

G. MEYER, MED. ET CHIR. DR.
J. HONS, MED. ET CHIR. CAND.
M. GRAEFF, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO, GENEROSISSIMO

JOAN. DE WIEBEL

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, CHIRURGORUM CASTRENSIUM REIQUE OMNIS MEDICAE EXERCITUS BORUSSICI PRAEFECTO SUMMO, REGI BORUSSIAE A CONSILIIS INTIMIS SUPREMIS ET ARCHIATRO, SECTIONIS PRO SANITATE PUBLICA TUENDA IN SUMMO MAGISTRATU RERUM CIVILIUM MEMBRO, SEMINARII REGII MEDICO-CHIRURGICI FRIDERICO-GUILELMIANI ET ACADEMIAE REGIAE MEDICO-CHIRURGICAE MILITARIS DIRECTORI, COLLEGII BEROLINENSIS REM PAUPERUM CURANTIS MEMBRO, AQUILAE RUBRAE CUM ASTRO IN CLASSE SECUNDA, ET ORDINIS CRUCIS FERREAE IN CLASSE SECUNDA, NEC NON ORDINIS AUSTR. CORONAE FERREAE EQUITI, LEGIONIS HONORARIAE REGIS FRANCO-GALLIAE DECURIONI, ORDINIS RUTHENICI ST. ANNAE IN CLASSE SECUNDA, ST. VOLODIMIRI IN CLASSE QUARTA, BAVARICI, WUERTEMBERGENSIS ET HOLLANDICI EQUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI

ETC. ETC. ETC.

FAUTORI BENEVOLO, SUMME VENERANDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTO

PROOEMIUM.

Pensitanti mihi per aliquod tempus, quamnam ex rerum medicarum copia ad disserendum partem exhiberem, ex omnibus actionibus vicariae in organismum ratio, cujus mea jam dudum interfuit, tandem placuit, quum mihi persuasum sit, hancce actionem et bonam servare valetudinem, et morbos efficere nec minus sanare. Tamen pro dissertatione inaugurali minus apta apparet res, de qua tot tantaque compendia scribi possunt. Itaque ex omnibus organorum praecipue secernentium actiones elegi vicarias, quas quantumque agant in functiones vitales indicare velim. Minus

versabor in theoriis, quas veteres aequalesqu
de migratione morborum, de materiis stagnan
tibus procedentibusque in alia loca protule
runt, ac quae toties inter se differunt, quotie
medici de hac re scripserunt; nam rei tam
gravi haece pagellae minime satisfacerent
Sufficiat ergo quam brevissime opiniones va
rias, earumque originem exponere, ut eo cer
tius ad rem ipsam procedere possim.

Tu vero, benevole lector, si quis est
concedas, ut paucis, quid sit actio vicaria
qualesque sint conditiones ejus in organismo
indicem.

Jam ex organismi ipsius natura prodit, omnia ejus organa atque systemata organica, omnes ejus actiones intimum inter sese vitalem obtinere connexum, ita ut unum ab altero pendeat, neque alterum affici possit, nisi ad alia sensu motuque transgrediatur affectio; quod et in aegroto et in sano corpore observari potest.

Hic connexus vitalis duplici sese nobis praebet modo:

a. Aut organa quaedam inter se eadem conditione externa internave simul incitantur, alienantur vel afficiuntur. Tunc haec organa inter se consentiunt, ac dicimus, consensum partium adesse, quem e. g. inter genitalia et mammas videmus; organa, quae tempore pubertatis, ubi organismus jam per se statum irritationis et universalis organorum alienationis praebet, simul novam vitae conditionem ineunt. Hic jam status vitae auctus, quem utrumque intrat, unum ab al-

tero pendens reddit. Idem simul inter genitalia et organon vocis videmus, quae eodem tempore excoluntur, simulac magnas perficiunt evolutiones. —

Haec ratio in morbis sympathiam nobis adducit. Partes inter se consentientes, ut ita dicam, facillime simul morbo afficiuntur. Castratus e. g. qui est, aliam quam antea accipit vocem. Idem sympathicum in organis duplicibus v. c. oculis, auribus, pulmonibus, glandulis inguinalibas videbis, uno vel altero affecto. Singulare id est inter abdomen et caput, quorum consensus quam sit intimus, in variis acutis atque chronicis abdominis morbis facile animadverteris, ubi nunquam diversa capitis deerunt pathemata. Vice versa capitis vulnera hepatis affectiones, inde enim vomitus biliosus, sequuntur. Cerebri quaenam sit cum pectoris et abdominis organis sympathia, animi pathematum affectus satis ostendunt. Iram bilis, furorem salivae secretionem augere, terrorem cutis ac pulmonum functiones subito tollere sat constat. Eandem sympathiam inter organorum systemata eorumque partes singulares invenies — imprimis membranarum mucosarum ac serosarum, nec minus cutis.

Hac consensus atque sympathiae lege, cujus intimum cum vita organica connexum me indicasse puto, alia nititur lex, quae est magni in morbis momenti:

b. lex antagonismi, ex qua actiones prodeunt vicariae. Siquidem functio quaedam organica caussa aliqua externa vel interna alienatur, necessariae aliarum functionum oriuntur mutationes, quae cum priori

nexum praebent causalem. Haecce lex duplicem ad valetudinem rationem solet habere.

1. Si actio quaedam, minuta vel aucta actione altera, augetur tantummodo vel minuitur, magis derivatio exoritur, qua natura conservatrix functionum obtinere studet harmoniam, quod fit saepissime sine magna actionum turbatione, et tunc morbi nonnunquam evitantur. His casibus actio per aliquod spatium perseverat, eaque cedente status sanus intrat.

2. Si contra suppressis functionibus vitalibus novae actiones, quae antea non aderant, nexu quodam vitali in aliis organis systematibusve oriuntur, quae statu valetudinis longe aliter agere solent, hasce imprimis actiones apellamus vicarias, ex quibus metastases tunc imprimis prodire videmus, si actio quaedam naturalis vel aliena subito tollitur. —

Hi sunt casus, quibus vitae harmonia magis offenditur, ut morbus ipse ponatur. Verum et hic toties vis naturae medicatrix eo derivare solet, quod organa minoris momenti corripiat, quoties, si quidem organa functionum vitalium offendit, mortis periculum, mors intrat ipsa *).

---

*) Non interest, metastasim definire, qua de re veteres jam varie judicaverunt, nec non medici nostri varia prodiderunt. Ego vero crediderim, Metastasin nec esse metaptosin nec diadochen, sed singularem metaschematismum, ubi organon novo, pro organo, cujus functio suppressa, fungi labore necesse est. Num novae actiones aut forma aut utraque eaedem sint, nec ne, ab or-

Ad intelligendas has singulares organorum conditiones multi materias ubique migrantes adesse voluerunt, praesertim quum animadverterent, materiam secretam, si organa secretoria actionem susciperent vicariam, pervalde similem esse materiis primariis, a quibus retentis originem ducerent. Interea, quum eluceat, non omnino tales materias morbificas inveniri, actiones vicarias dividerunt in actionem vicariam:

a. cum materie.

b. sine materie.

Siquidem vero materiem quandam migrantem defendere velimus, tamen concedere debemus, id organo primum affecto, tunc alienato, effici, atque similem materiei secretionem depositionemque alio loco non

---

gani structura ac functionibus, nec minus a momentis, quibus metastasis exorta est, pendet. Ceterum actionem naturae certe, quoad structuram functionemque organi, quod novam actionem suscepit, simillimam esse constat. Itaque si inflammationem quamnam febris cujusdam nervosae vel typhosae metastasin esse dicimus, febris ista, quoad systema vasorum universale, idem est, quod inflammatio in organo quodam singulari. Quare nihil refert, num ex morbo universali topicus, aut ex topico alius morbus localis exoriatur; tamen metastasis esse potest. Quod ad has quaestiones pertinet, legas Reilii, Sprengelii disquisitiones, et quod Hufeland (in libro de Pathogenia Ed. princ. pag. 270) disseruit. Concedas ergo, me verbo metastaseos hic sensu illo, minus coërcito, uti, nisi generatim nomen actionis vicariae exhibeam.

nisi alienata alius functione fieri posse. Si vero interrogas, quaenam sit hujus alienationis causa, respondebimus, esse antagonismi legem, quae imprimis duce systemate nervorum agat. Quando igitur actio quaedam supprimitur, alius organi actiones augentur alienanturque, ita ut vicariare et materiem suppressae maxime similem producere possit. Etsi nonnunquam gustum salivae urinosum, fluida urinae similia in tela cellulosa hydropicorum in cavo pectoris, abdominis invenimus, tamen urinosae hae partes minime a renibus migrarunt in haecce loca; nam quum renum desierit secretio, sanguis materias suas urinosas in tela cellulosa aut membranis serosis, ubi minime urinam sed serum urinae simile inveniemus, deponit. Sanguis vero ubique adest; materias igitur migrare minime necesse est. Si excretione solum modo suppressa actiones vicarias exoriri videremus, potius resorptionem per vasa lymphatica induere possemus, tamquam horum phaenomenorum caussam; sed solito tunc primum actiones exoriuntur vicariae, si organon primarium secernere desiit, ac, excretione tantum spasmis aut aliis causis impedita, materies retentae in organo secretorio sine ulla actione vicaria vasis lymphaticis excipi, in vasa sanguifera deduci et tunc per emissaria removeri possunt. Hanc imprimis resorptionis per vasa lymphatica theoriam medici exhibuerunt, dum de bilis secretionis suppressae caussis disserebant. Voluerunt bilem hic vere secerni in hepate, et viis singularibus in aliis locis deponi. Soem-

mering vasa lymphatica, Haller venas, Darwin denique vasa capillaria in glandulis secernentibus hasce vias esse arbitrati sunt. Sed experientia nos docet, bilis secretionem plurimum hic per totum suppressam esse, saepius stagnationes, degenerationes, atrophiam adeo magnam adesse hepatis, ita ut bilem secernere non possit. Nec minus certo ii in errore versantur, qui nervis agentibus omnia evolvere student. Systema nervorum certe quidem supremum obtinet locum, tamen minus in vita organica jubet, nec intelligo, qua de causa systema sanguiferum hic minus valere possit. Minime nervi tantum vivunt, quod dicit Reil *), qui omnino nervorum actionibus motiones omnes actionesque vitales fieri vult. — Habemus certe connexus quosdam e. g. inter cerebrum atque ventriculum sympathicos, deinde inter organa duplicia, quos cultro anatomico ostendere possumus. Hic nervus vagus cum oesophago ad ventriculum procedit; fibras nervorum opticorum in thalamo inter se cruciari constat. Inde certe dolores capitis sordium gastricarum socii; inde oculorum inter se nexus sympathicus atque antagonismus. Sed unde parotidis cum testibus, oculorum cum urethra in morbis sympathia? unde trismus ex assula?

Ex quo satis elucet, phaenomenorum horum naturam a medicis nunquam evolvi posse. Antagonis-

---

*) Reil, über die Krisen wahrer Nervenkrankheiten. vid. Journal der Erfindungen, Theorien und Widersprüche. Vol. I. pag. 66—118.

mus hic certo agit, actiones vicarias producit, quae paene sunt vitae conditio. —

Si de actionibus vicariis sermo est, accuratius discernendae sunt functiones organicae a functionibus animalibus *). Priores huc imprimis pertinent. Sunt functiones organorum secernentium, quae omnes magis minusve assimilationi ac reproductioni inserviunt, actiones necessariae, quas suppressas vicariae sequuntur. Itaque mihi disserendum erit:

A. Quaenam sint actionis vicariae leges;

B. Quaenam porro sint actiones eae necessariae, qualesque actiones vicarias proferant;

C. Quisnam earum cum natura conservatrice nexus, quaenam tandem sint artis medelae.

A. ACTIONIS VICARIAE LEGES.

§. 1. Perbene discernendum est, num actio quaedam vicaria subito causis externis, aut sensim interna quadam conditione exoriatur. Si quidem morbus acutus febrilis vel inflammatio quaedam adest, tunc nonnunquam subito febris vehementia cedit, horripilationes intrant, pulsus tardus suppressus fit; sensus anxietatis, dolores capitis, formicatio ex spasmo cutis simul adsunt; organon inflammatum desiit dolere si externe jacet, pallidum fit, collabitur; nova omnino harmoniae sequitur turbatio. Febris tunc

---

*) vid. Brandis Versuch über die Metastasen. Hannover a. 1789.

denuo intrat, si actiones ubiquam inceperunt novae, si aliud organon inflammationem suscepit, pendetque a novo, qui adest, morbo, augetur minuiturve quoad novae affectionis vehementiam. Haec sunt phaenomena, quae metastasim, qui fit, concomitantur. Si vero conditione interna, reactione in potentias incitantes minuta, spasmo universali soluto, organa secernentia, reactione in potentias incitantes minuta, spasmo universali soluto, organa secernentia sensim sensimque antagonistice suscipiunt actiones, ac inter se distribuere incipiunt, actiones hasce vicarias crisin nominamus et solutio morbi adest.

Contra quando in morbo chronico afebrili actio quaedam secretoria subito tollitur, minus vehementer organismum offendi videmus, et tunc primum febris exoritur, quum depositio ad organon gravius facta sit, quod insultari non nisi incitatione potest universali. Actionis talis naturalis vel tempori assuefactae suppressio hic saepius causis internis nocivis ita sensim, tam tarde procedit, ut nonnunquam actionem quandam vicariam minime apertam in lucem proferre possimus. Verum tamen status morbi universalis, debilitas, macies, symptomata cachexiae simul adsunt, et nos de universali functionum turbatione docere student. Ubi vero actiones vicariae ex necessariis suppressis subito oriuntur, certo jam symptomata febrilia, antequam depositio est facta, non deerunt.

§. 2. Materies, quae actione quadam vicaria secernitur, quoad naturam structuramque organi secer-

nentis maximam cum primaria proferre solet similitudinem. Suppressa bilis, urinae lactisque secretione has materias, siquidem aliis conditionibus in aliis deponi videmus locis. Quando lactis secretionem glandulae aliae suscipiunt, materia secreta lacti pervalde appropinquat. Si vero tela cellulosa aut membranae serosae fibrosaeve, quae alias serum secernere solent, hanc functionem suscipiunt, lacti minus simile invenies serum, sed tamen albuminosum.

Sunt, quae pathologiae humorali imprimis ad exhibendas metastases cum materie inservierunt.

§. 3. Actio quaeque necessaria sua ipsius habet organa, quibus lubentissime, si quidem suppressa est, vicariam concedit actionem; sunt quibuscum jam per se consensu aut sympathia erat conjuncta, licet et minime nexus inter ea cultro sit eruendus. Ita statu sano hiemali tempore, transpiratione minuta, urinae secretio augeri, tempore vero aestivo, aucta transpiratione urina minui solet. Sensu naturae lochia minuta lactis secretio sequitur aucta, quae quidem si mater lactare desiit, saepissime Diarrhoea quadam spontanea aut arte facta tollitur. Interea hic non minus respiciendus locus minoris resistentiae, quemadmodum haemorrhagiis suppressis animadverti potest, quarum actionem vicariam nonnunquam pulmones tunc imprimis suscipiunt, si ad Haemoptysin disponunt, si Phthisis pulmonum, itaque jam status irritatus aderat. Secretionibus subito sublatis inflammationes lubentissime eas corripiunt partes, quibus

sanguinis inest orgasmus, ita ut in eas nimis congeratur; aut, quae jam antea saepius fuerant inflammatae, eaque de causa ad inflammationes dispositionem per longius adhuc tempus servare solent.

§. 4. Actiones vicariae supprimi non possunt, nisi aut primaria aut alia nova provocetur actio vicaria, eoque sensu necessariae fieri debent. Excipere vero nos oportet nonnullas actiones vicarias, quibus proprium id est, quod sisti post aliquantulum temporis possunt, attamen neque primaria provocatur, nec alia exoritur — sunt exanthematum acutorum, quibus quoddam subest contagium. Materia contagiosa hic universalem systematum turbationem provocat, ac tanquam actio necessaria esset suppressa vel minuta, depositiones vicariae exoriuntur in cutem, quum viae excernentes solitae ad semovendam materiem vel saltem incitamentum contagiosum non sufficiant. Quaequidem vicaria cutis actio minuitur, finito evanescit morbo, attamen nulla actio in conspectum venit vicaria. Ita res se habet in variolis, scarlatina aliisque. Percipiendi contagium facultate sublata, id quoque organismi desinit esse incitamentum, ac conditionibus criseos vel lyseos solitis morbi in reconvalescentiam exitui nil obstat.

§. 5. Id idem de actionibus nonnullis necessariis, quod de vicariis specificis dici potest, si quidem contagia specifica in organo quodam plura secernendi nisum provocaverunt. Organon istud secretorium tunc minime sufficit, aliae functionem istam simul susci-

piunt partes, tanquam si actio primaria illa esset suppressa vel saltem minuta. In morbo, quem dicimus polycholiam e. g. id invenies. Bilis in hepate secretio minime minuta, e contrario hepar plura quam solito secernit, tamen bilis omnino deponitur.

In syphilide tandem singulares adsunt conditiones, quae huc pertinent, de quibus postea.

B. ACTIONES NECESSARIAE VICARIAEQUE, QUAS PROVOCARE SOLENT.

a) continuae.

Transspiratio.

§. 6. Cutis, organon transpirationis, tanquam integumentum corporis, emissariumque pro multis excernendis e corpore materiis maximi in nostris est rebus momenti. Plena in sua extensione aërem tangit, eoque magis a caussis affici solet externis, quo quidem tenuior et sensibilior est.

Functionis hujus suppressio quodnam afferat periculum, jam ex eo constat, quod bessis ejus affectio, qua transspiratio supprimitur, febrem vehementissimam, turbationem universalem, inflammationes internas graves, apoplexiam ciet, ex quo majoris cutis partis, quamquam sit superficialis, combustio jam per se malam exhibere solet prognosin. Transpiratio, minuta tantum, urinae auget secretionem. Si vero aucta actione sua supprimitur, aut statu sano, magna corporis totius adhibita vi, aut in morbis febrilibus inflammatoriis, ubi forsan crisis per cutem in propin-

quo erat, alius organi secretorii actio minime sufficiat; vicariae igitur in aliis partibus exoriuntur actiones, inflammatio, quae aderat, cujus fuisset crisis per cutem, aut, recrudescit, aut aliae actiones vicariae in membranis pulmonum mucosis, in tractu intestinorum gigni solent. Jam vix mentionem faciam, quoties transspiratio suppressa organorum respirationis cieat inflammationes, quibuscum cutis, tanquam carboneum excernens intimum exercet nexum. His ergo casibus pulmones pro cute, lege antagonismi, agunt, ut major carbonei copia excernatur; inde inflammatio.

Maxime periculosa haecce transspirationis suppressio inter puerperium sese offert, ubi propter magnam systematum excitationem ad actiones vicarias ciendas nisus, ex quo lochiorum suppressio, metastasis lactis prodire solent, praevaleat.

Saepius iisdem conditionibus hydrops exoritur, ac tunc aut subito suppressa, si dispositio adest, aut minuta sensim transspiratione, caussis debilitantibus, vitae genere apparet. His casibus turgor deletur vitalis, stagnat nisus excernendi; materiae excernendae sensim magna copia inter telam cellulosam, inter cava, quibus alias minus aquae, quam gasiformia inesse solent, coit. Cutis extensa debilitatur, cedit, minoris fit locus resistentiae; inde excernendas alibi materias huc sensim vergere, ut aut urinae secretio minuatur. aut omnia ad vesicam urinariam procedant, ex quo diabetes, necesse est.

Rheumatismum hoc fonte originem ducere sci-

mus, quaenam vero haec sit musculorum affectio, num quidquam ibi secernatur, necne, in obscuro jacet. Verisimile est, materiam retentam irritare, inflammare partes, inde dolores, ardor nonnunquam, immobilitas partium. Quaenam tandem sit ea nervorum affectio, quae transspirationem, sic et alias secretiones minutas sequitur, num sit status subinflammatorius, num ibidem vicarie secernatur, deponatur materia quaedam acris irritans, haec omnia minime scimus.

Omnino vero, suppressa per totum transpiratione, omnem organorum harmoniam turbari, denique mori videmus aegrotos, nisi opere maximo, medicamentis efficacibus, vitae genere apto haece praecipuae ad reproducendum aperiuntur viae.

Secretio urinae.

§. 7. Urinae secretio non minus actio est necessaria, cui natura eo jam procurasse videtur, quod organon duplex formavit, ita ut unum, servato agente altero, destrui possit. Haec secretio magis minusve minui potest, ita ut actiones exoriantur vicariae. Quatenus talis actio pro urinae aut pro alia secretione vicariet, certo saepius constituere non possumus; dubii ergo sumus, num forsan actio haec vicaria antecedat, et urinae demum secretionis provocet suppressionem, minuta jam alia secretione, functione forsan cutis sensim deleta, ut anasarca provocetur; — inde secretio urinae minuta (vid. §. 7). Interea quum hoc fluidum, in partibus insolitis depositum, saepissime

urinae persimile est, nexum adesse inter hanc et urinae secretionem minutam constat. Ita hydrops pectoris et abdominis, hydrops telae cellulosae eundem ostentant nexum causalem. —

Saepius tamen transpirationem suppressam, inepto nonnunquam vitae genere, debilitante, causam praebere occasionalem arbitror. Si glandulae hancce vicariam pro urinae secretione actionem suscipiunt, secretionis similitudo maxime in lucem profertur. Exempla non enumerari possunt, ubi per cutem, glandulas salivales, glandulas tractus intestinorum urinae simile excernitur fluidum. Nonnunquam hoc sensu singulares in cute secernuntur materiae acres, exanthemata exoriuntur, quae acri odore ipso originem suam indicant. Crusta lactea non minus nexum hunc indicat causalem, exquo Lentinus rogat, ut hoc in morbo ad urinae secretionem animadvertamus.

Secretio bilis.

§. 8. Functio hepatis, reproductionis quasi interpres, nec minus magni momenti est. Bilis secretio magnam exercet vim in functiones organorum abdominalium, ejusque suppressiones in tota organorum animadverti possunt serie. Bilis, cujus partes remotas jam in sanguine invenimus, remota ab eodem, deposita ad organon singulare, sanguini carboneum dirimere eumque ad actiones, quibus praestat in pulmonibus, praeparare videtur; praeterea quoque, excreta in vesicam felleam, transgressa in duodenum, ad

chymi immutationem in chylum agit; denique, quae restat, pars faecibus propellendis inservit, quibuscum simul excernitur.

Nulla magis quam bilis secretio actiones efficere solet vicarias, quarum causae aut dynamicae sunt, aut organicae et quidem in hepatis anomaliis jacent. Causae hae dynamicae imprimis psychicae, animi motiones, praesertim deprimentes, ira, terror quoque animadvertuntur. Quibus causis hepar nonnunquam modice tantum incitatur, ita ut bilis paullo major secernatur copia, quae per ductus ad intestina procedat, atque actiones vicariae minime exoriantur. Si vero animi motionibus vehementibus, spasmo quodam aut turgore maximo in hepar secretio bilis tollitur, tunc per cutem, in cavis vicarias animadvertimus actiones, urinam croceam, sudorem adeo flavum etc. Morbi hepatis ipsius, quibus actiones exoriuntur vicariae, sunt quidem inflammatio, ubi secretio per se diminuitur. Nonnunquam vero eandem invenimus chronicam in cholericis, faece flavido-pallida, in quibus, praeter universalia systematis abdominalis organa, imprimis hepar in statu semper versatur phlogistico, ita ut nonnunquam phlogoseos exacerbationes appareant. Sunt casus, quibus bilis secretio minime diminuta, e contrario aucta est, ut hepatis actionibus, turgore sanguinis ad hepar maxime aucto, minime sufficiat. Inde cutis flavida, urina turbulenta, crocea, inde facies colore flavido-fusco, nonnunquam diarrhoea biliosa, ex

quibus omnibus bilis magnam copiam gigni, concludere debemus (vid. §. 5.).

Hanc polycholiam, ita dictam, nonnunquam endemicam videmus, ubi contagium specificum in aëre accusamus. Febris, ut in febribus exanthematicis antecedit biliosa, secretio aucta sequitur. Post aliquot tempus haecce in corpore ad polycholiam dispositio sine ulla actione cedit vicaria, postquam illa contagium percipiendi evanuerat facultas.

Auctam denique ipsam bilis secretionem pro impedita pulmonum functione vicariare scimus, de quibus postea.

Singularem icterum neonatorum observamus, cujus originem certe in evolutionibus, quae post partum incipiunt, inveniemus. Hepar foetus nondum bilem secernit, quemadmodum postea, sed pulmonum functioni appropinquat; nam sanguini in foetum per placentam influenti intercedit. Post vero partum pulmones, simul et cutis nova suo more agere incipiunt. Humores nunc ad peripheriam tendunt; cutis minime resorbet solummodo, sed et excernit, inde sanguinem vivificandum juvat, quum carboneum ei dirimat. Ad quam quidem suam novam actionem cutis, quum causis externis proxime exponatur, multo priusquam hepar providere videtur. Hepar ergo nonnunquam post partum ad aliter agendum ineptum permanet secundum legem antagonismi. Quum vero sanguis, respiratione jam incipiente, aliam vim vitalem acceperit auctam, tamen bilin ex sanguine excerni necessarium

fit, inde ad cutem depositio, ad quam tunc imprimis vergunt humores — inde icterus neonatorum. Impedimenta mechanica in hepate ipso post partum, e. g. meconii accumulatio, spasmus ductuum vasorumque, de quibus multi loquuntur, certe ad impediendam bilis secretionem quoque agunt. — Inde effectus laxantiorum, quae hepatis secretionem stimulant — methodus contrastimulans — antagonistica.

Functio tractus intestinorum, tanquam organi secretorii.

§. 9. Tractus intestinorum secreta et chylificationi et faecibus excernendis inserviunt. Hujus secretionis turbationes plurimum minus celeriter, minus aperte intrare solent, sed causarum nocentium, quae quidem per longius tempus aderant, aliarumque in organismo turbationum sunt sequela, ex quo vicariae earum actiones lente sese evolvunt, eo pertinaciores fiunt, eoque magis vires extinguere solent, si quidem hujus secretionis anomaliae una cum aliorum organorum vitiis dirutae apparent.

Vicariam hic actionem cutis, renes, glandulae salivales, suscipiunt. Salivatio imprimis tanquam vicaria pro secretione succi pancreatici suppressa actio observata est. Periodice hanc secretionem auctam in hypochondria videmus. Forsan et febris urticaria eandem ducit originem. Secretio urinae eodem sensu vicariat; magna urinae tenuis aqueae praecipuum praebet stagnationum symptoma, ac imprimis, si hae

digestionis anomaliae per longum jam tempus aderant, atque assimilatio jam diu parca erat, sua ipsius consistentia, colore, gustu, vicariam chylificationis adesse actionem nobis persuadent; urina fit turbulenta, albida, sero lactis similis, materiam continet saccharinam, inde dulcis fit. Assimilatio penitus jacet, et quod reproductioni inservierat, partes illae nutrientes per renes excernuntur, quoniam minuta succi intestinalis secretione ad assimilandum aptae fieri non possunt — inde diabetes. Nihilo minus nonnunquam hydrops hisce conditionibus exoritur. Materia organica, hucusque in tela cellulosa aliisque partibus deposita, minime formantur, permanent fluidae, lymphaticam suam consistentiam reservant, talesque in partibus variis deponuntur. Inde hydrops serosolymphaticus telae cellulosae, cavarum. Assimilatio penitus jacet; ejusmodi aegrotantes emaciant, vires sensim evanescunt, tument aegroti, ut denique hydrope universali moriantur. — Hae sequelae imprimis post vitam largam, evagantem e. g. in potatoribus observantur, quorum multos hydrothorace, hydrope pericardii, ascitide, anasarca denique emortuos vidi.

Respiratio.

§. 10. Pulmonum quum, quoad physiologi nostri statuerunt, functione imprimis carboneum, magna cujus copia sanguini inest venoso, inspirato oxygenio, tanquam acidum carbonicum exspiretur, non pos-

sum, quin et eas organon se-nec minus excretorium habeam, eorumque hic mentionem faciam.

Si quidem respiratio aut propter minutam pulmonum actionem, aut quia nimis parva sanguinis copia intrat, turbatur, carbonei parva excernitur copia, cetera in vasis remanent, quae vis agens in corpore alio loco aut vere secernit, aut solummodo deponit. Quum enim expansiones contractionesque pulmonum ex causa mechanica vel dynamica propter cartilaginum ossificationem aut nimiam debilitationem nimis tarde atque imperfecte procedant, actiones exoriuntur vicariae. Sanguis nimiam carbonei copiam continens, pauca reproducit, minimeque procedit ad solidi conformationem. Inde emaciatio, inde seri accumulatio in tela cellulosa, in cavis intestinorum — in genere hydrops, nonnunquam etiam, conditionibus singularibus obesitas magna. Imprimis vero pro imperfecta pulmonum actione hepar atque cutis vicariare solent, quorum utriusque functiones simili gaudent natura. Uterque materiam excernunt carboneam, atque hydrogenium, itaque nisus vicariandi pro pulmonibus per se iis inest. Secretio ergo bilis, transspiratio aucta saepius hujus anomaliae sequela.

Aëris vero conditio mala totidem hasce provocat anomalias. Aër enim humido-frigidus prope paludes, nimiam hydrocarbonatis, minimam oxygenii copiam continens, ad sanguinem decarbonisandum, vivificandum non sufficit: inde inter morbos graves cacochymicos petechiae, inde melaena, haemorrhagiae cujus-

vis generis, inde aucta bilis secretio cum ictero; inde febris flavae orientalis origo endemica, de qua jam antea.

Morbi singularis caerulei vel cyanoseos hic faciam mentionem, cujus causae in organicis cordis et vasorum magnorum jacent anomaliis, quae sanguinem ex corde pulmones inire impediunt, quare sanguis venosus, qualis est, in arterias refluit. Ne memorem alia vitia, quae hocce morbi genus et in annos traducunt.

Quo quidem in morbo, de cujus symptomatibus ne plura dicam, vicarias hanmorrhagias videmus, quarum minime effectus saluber, immo secundum adynamiam, quam gignunt, morbi vim augent. Inde haemorrhagiae aurium, narium, pulmonum, recti, vomitus denique cruentus. Certe nisus emittendi his subest actionibus, sed vasa per totum atonica, debilitata, minime turgorem sanguinis ferre possunt, quem talis poscit excretio: inde rexis, inde excessus sanguinis per vias excretorias in telam cellulosam, ecchymoses, maculae, petechiae.

B. ACTIONES NECESSARIAE, QUAE PERIODICE TANTUM INTRARE SOLENT.

Menstruatio.

§. 11. Menstruorum, quae cum omnibus mulierum morbis talem tantumque obtinent connexum, suppressio duplicem nobis offert originem. Est aut universalis actionum vitalium turbationis sequela, ac una

cum systematum omnium adynamia in conspectum venit, aut in bene ceterum constitutis apparet.

Siquidem amenorrhoea simul cum iis antea dictis intrat vitiis, aliae exoriuntur actiones vicariae, quae minus a menstruis suppressis tantummodo originem ducunt. Imprimis hic secretiones sanguinolentae, quippe quae pro menstruis vicarient, rarius animadvertimus, verum chlorosis, cachexiae omnino, hydrops exoriuntur. Aliter se habet res, si amenorrhoea morbus quasi primarius est, ubi vicariae provocantur actiones necessariae suppressae persimiles in aliis organis, quae et periodicum id reservare, pro brevi tempore evanescere atque redintrare solent. His casibus priusquam sanguinolenta illa in conspectum venit secretio, similia symptomata universalia, lassitudo, dyspepsiae, dolores capitis, extremitatum lumborum observantur. Pulmones imprimis in muliebribus plethoricis hancce suscipiunt actionem, haemoptysis inter quatuor hebdomades intrat, per tres quatuor dies perseverat, evanescit, nec morbi pulmonum pneumonia, phthisis sequuntur, nisi jam per se ad hos morbos dispositio aderat. Vomitus cruentus saepius his conditionibus intrat periodice, nec sequelas relinquit nocivas. Itaque veresimile est, minime haemorrhagiam esse per rexin, sed per diapedesin aut per anastomosin. Saepius exsudationes sanguinis per papillas mammales observamus. Tela cellulosa quoque sanguiuis suscipere videtur secretionem; inde maculae illae, ecchymoses in tela cellulosa, supra mam-

mas et abdomen sita. Haemorrhoides fluentes, quae per se jam lubenter typum accipiunt periodicum, mensibusque appropinquare videntur, nonnunquam, et in foeminis pro menstruis vicariant.

Non possum, quin hoc loco ulcerum menstrualium ita dictorum mentionem faciam, quibus chirurgia nostra magis attendit. In crure, supra musculos gastrocnemios ea observantur, rotunda, marginibus dissectis, basi venosa punctulis sanguinolentis obtecta sunt, atque periodice sanguinem emittunt. Quae quidem ulcera haemorhoidalia, nec minus menstrualia, quae communem babent situm formamque, ac utraque nomine ulcerum fisconiosorum notantur, pro menstruis ac haemorrhoidibus actionem praebent vicariam. Plurimum primum casuitu ulcera simplicia causa quadam externa mechanica exoriuntur, quae tamen mox cum vitiis illis internis nexum inire, ac pro secretionibus his suppressis vicariare nituntur. Tunc formam eam singularem accipiunt, pertinacia fiunt, ac postquam molimina haemorrhoidum menstruorumque antecesserant, inflammantur sanguinemque emittunt. — Difficiliter ulcera, nisi Haemorrhagiae viis solitis restituantur, sanari possunt. Attamen dubito, ulcerum horum naturam sanguinolentam pro tempore secretionem exposcere; eam vero secundum vitales ulcerum conditiones aut sanguinolentam, aut serosam aut denique purulentam apparere posse, ac purulentam, serosam secretionem cutis, longe aliter

constructae, eodem sensu pro menstruis haemorrhoidibusque posse vicariare arbitror.

Lactatio.

Singularis ea totius corporis temperatura, status omnium systematum erethicus, qui interea propter partus insultationes a systemate nervorum abdominalium procedere videtur, ad vicariarum actionum originem in puerperis imprimis attendere nos volunt. Hic subito secretiones, puerperae jam superfluas evanescere, alias vero, quibuscum certe nexum exhibent causalem, intrare videmus. Organa omnia, imprimis systema uterinum, eique similia in statu maxime erethico versantur, qui ad totum nervorum vasorumque systema transire, febremque lacteam gignere solet. Lactis secretio in mammis post partum omnes occupat organismi vires. Negari quidem non potest, lac et in virgine et prima graviditatis periodo gigni ac in mammis inveniri, quod vere in gravidis, imprimis altera graviditatis periodo, naturale haberi debet, quum mammae, quo propiores puerperio eo validiorem cum systemate uterino inire soleant connexum; inde alienam auctamque suscipiunt actionem, ac praesertim, si in valido sano corpore gravido materiae nutrientis plus, quam foetus consumere possit, gignitur, mammas imprimis lactis nutrientis materiam intussuscipere oportet. Post vero partum subito secretio in utero nisusque humorum versus eum desiit; inde secundum vitalem inter mammas atque uterum connexum

ad mammas vergunt; fluunt lochia sensimque minuuntur, sicuti actio in mammis secretoria augetur, donec tandem per totum fluere desierunt. Quae quidem evolutiones lactis nobis secretionem vicariam quasi actionem naturalem pro graviditatis puerperiique inducunt rebus, quas vero pro dolor minime semper modo naturali procedere videmus. Priusquam enim haec lactis secretio cum aliis actionibus harmoniam iniit, priusquam corpus hisce evolutionibus cessit, facillime eae exoriuntur actiones vicariae, quas imprimis metastases lactis nominamus.

Metastases lactis inveniuntur variis in locis. Sunt modo apoplexia lactea, modo pleuritis, pneumonia lactea, modo abscessus lacteus in tela cellulosa aut mammarum, aut alibi infra cutem. Momenta certe definita, quibus hae metastases exoriuntur, organaque, quae tunc imprimis corripiunt, constituere non possumus. Levret dicit: »nullum tempus pro omnibus lactearum metastasium generibus ponendum, sed varium id esse pro diversitate morborum, qui ex hac suppressione oriantur. Apoplexiam lacteam a secundo ad quintum usque puerperii diem notari, lacteas eruptiones cutaneas post febrem lacteam apparere, tumores lacteos intra pelvim et in extremitatibus inferioribus, praegressa febre lactea et mammis lacte plenis, plerumque vero die decimo quarto, lacte non amplius per mammas excurrente, hisce flaccescentibus, generari.» Sed certum tempus hic constitui non posse arbitror.

Scriptores quidem dignissimi et inter graviditatem, et quidem secunda ejus periodo lactis viderunt metastases; interea eas imprimis post partum inter puerperium ac postea saepius vehementiores animadvertimus. Partus abnormes, dolores vehementes, uteri per forcipes vulneratio, partus longum temporis spatium tenentes saepissime nutricis, peritonitidis causae sunt occasionales. Hae inflammationes, nonnunquam statim intrantes, subito turbare solent lactis secretionem.

Inter horas nonnullas lac non amplius secerni, ac secundum hanc turbationem exoriri videmus febrem inflammatoriam, exitumque in sphacelum brevi tempore observamus. Fluxus lochiorum idem subito suppressus, omnesque secretiones in uterum peritoneumque diriguntur.

Si quidem inter febrem lacteam refrigeratione vehementi lactis supprimebatur secretio, obducentes cadavera exitum peritonitidis — magnam puris exsudati, lacti persimilis copiam saepius invenimus, quod alias nunquam tam cito secerni solet, ac analysi chemica, nec minus colore, consistentia, odore lacti simile se praebet.

Natura febre lactea lactationem vult inducere. Dein cum febre lenis adest transspiratio, ergo puerperii stadium intrat, ubi organismus causis externis facillime corripitur, quibus metastases pervalde periculosae exoriuntur. Hac periodo facile peritonitidem psoitidem puerperarum, meningitidem lacteam vide-

mus, quia hoc tempore systemati uterino ac cerebro, cujus cum eo adest sympathia, status pervalde erethicus inesse solet. Tempore hoc praeterlapso, si quidem lactis secretio ceteris naturalibus sese asseruit actionibus, vicariantes magis abscessus metastaticos in tela cellulosa, secretiones vicarias in tubo intestinali, renibus, glandulis salivalibus, aut, si dispositio adest, in pulmonibus videmus.

Metastases lactis exoriuntur impedita aut lactis depositione in mammis, aut excretione e circulo sanguinis. Si quidem depositio in mammas impeditur, mammae ipsius subsunt vitia. Lactis vero secretione ipsa impedita aut inflammativus aliorum organorum status aut alius organi secretorii aucta actio, qua secundum antagonismum secretio lactis minuitur aut per totum impeditur, adesse possunt. Quodsi vitia mammae ipsius adsunt, abscessus lactei nonnunquam in tela cellulosa mammae ipsius, in glandulis vicinis, quae per consensum inflammantur, ac fluidum lacteum secernunt, apparent. Interdum pectus totum cum humero, fossa axillari hac lactis metastasi tumentes videmus. Praeterea tela cellulosa hypochondriorum, femorum, sed et brachiorum, si quidem refrigeratio accedit, afficiuntur. Quibus in locis depositio nonnunquam tam larga fit, ut ex sacculo magno seri lactei quadrantes evacuentur. Quare immo tela cellulosa, quae renes, musculosque pelvis internos circumdat, saepius, quam aliae partes corripiantur, causa jacet in extensione, relaxatione, quibus periodo gra-

vitatis ultimo exponuntur. Inde loci fiunt minoris resistentiae, inde ad deponendum apti.

Lactis denique ex sanguine secretione impedita, magis periculosas organorum internorum, imprimis membranarum affectiones animadvertimus — peritonaei, pleurae, pulmonum etc., de quibus jam antea. Quodsi vero ad organa excretoria vergunt actiones vicariae, saepius periculum vitae imminens derivatur; inde commoda morbi versio, quum lac in posterioribus puerperii stadiis, ubi puerpera mammas praebere aut sponte, aut causa quadam casuitu coacta desierat, derivationem accipere soleat. Diarrhoea tunc lactationem sensim tollit, hoc sensu per aliquot tempus perseverat, cessatque sine ulla sequela. Sufficiat, vicarias lactationis actiones nominasse nexumque earum cum graviditatis puerperiique momentis delineasse. Quoad ad theorias pertinet, certarunt certantque adhuc medici, num vere existant metastases lacteae nec ne. J. Ch. Reil *) in argumentis, minus ideoneis, deducere voluit, quod lac metastaticum apellamus, non esse lac. Interea idem non minus, quam ii, qui hanc materiam lac verum esse contendunt, errare videtur. Negari non potest, materiam, quae hic secernitur, lacti persimilem esse, atque secretionem hanc cum lactatione nexum iniisse intimum. Tamen concedere debemus, lac quale est, in mammis tantum, uti omnino secreta,

*) Abhandlung über die Versetzung der Krankheitsmaterien, namentlich die Milchversetzungen vid. Journ der Erfindungen etc. Vol. II. N. 2.

qualia sunt, in organis tantummodo suis propriis parari posse. Itaque, si materia organica, iis apta, aliis locis, in aliis organis deponitur, esse lympham, lacti pervalde appropinquantem, vel pus lacti simile, quoad naturam actionis, quae in organo alieno hujus materiae secretioni antecedit. Certo natura his actionibus materiem, quae antea mammis erat destinata, studet protundere ac ita patefit, quare lactis partiunculae, etiamsi aliis conditionibus, in his materiis metastaticis inveniuntur.

C. ACTIONES SECRETORIAE NON NECESSARIAE PER SE, SED PRO TEMPORE ORGANISMO NECESSARIAE FACTAE.

Haemorrhoides.

§. 13. Haec vasorum haemorrhoidalium, quam dicimus Haemorrhoides, secretio, originem ducit ex causis, quae per longum tempus in systema abdominale egerunt, quibus in systemate portarum stagnationes, ac, conditione plethorica, pro tempore haemorrhagiae ex ano oriuntur, quae periodice intrantes plethoram per se tollunt abdominalem, itaque derivantes ab aliis systematibus, imprimis a pectore atque capite, non solum innoxiae, immo vero, nisi nimis magnam sanguinis copiam mittunt, corpori bonam salutaremque praebent actionem. Sunt conditiones, quibus vicariae haemorrhoidum actiones considerari debent. Si quidem haemorrhoides coecae, ergo nulla

fit stagnantis sanguinis derivatio, actiones illae vicariae non intrant.

Tunc nulla ut ita dicam humorum adest motio; stagnat sanguis venosus, functio organorum abdominalium tarde procedit. Congestiones ergo passivae intrant, minime vero activae, quae tam facile inflammationes vehementissimas, ex quibus haemorrhagiae, ciere possunt. Aliter res se habet in haemorrhoidibus veris, fluentibus; stagnans interdum excernitur sanguis, vergunt, diriguntur ad vasa haemorrhoidalia humores, quae quidem commotiones, si turbantur, e. g. refrigeratione aliisque causis, febribus, quae hoc tempore intrant, inflammationibus, symptomata vehementissima solent ciere. Congestiones activae, inflammationes vehementes hic interdum per haemorrhagiam solvuntur. Si vero ad inflammationem non procedit status congestivus, saltem secundum irritationem in aliis organis haemorrhagias tantummodo provocari videmus.

Inter actiones vicarias primum tenere solent locum Epistaxis, haemoptysis, vomitus cruentus, denique nonnunquam mictus cruentus, quae iisdem, quae post menostasiam, conditionibus in conspectum veniunt, ac toties sine ulla sequela cedunt, quoties, si dispositio jam aderat, phthisin, asthma, aliosque morbos graves relinquunt. Ubi suppressis haemorrhoidibus impetus ad alia organa vehementior est, phrenitidem, pneumoniam, pleuritidem, enteritidem gastritidem, hepatitidem ciet.

Saepius non sufficiunt vera haemorrhoidalia recti; plethora abdominalis et vesicam urinariam corripit. Inde stranguria, spasmus vesicae, mictus cruentus, qui quidem morbi et ex suppressis haemorrhoidibus prodeunt. De ulceribus haemorrhoidalibus vid. §. 11.

Exanthemata chronica.

§. 14. Singula exanthemata chronica e systematum abdominalium originem tradunt turbationibus, ex vitiis assimilationis, reproductionis e. g. scrophulosi, arthritide, syphilide. Nonnullis contagium quoddam subesse constat. Itaque eo sensu plerumque aut morborum horum symptomata, aut actiones eorum vicarias suscipiunt; quibus solvunt morbum, aut saltem, derivantes ab organis internis prodesse possunt.

Sic considerantes nos morbum oportet discernere, num exanthema sit morbi interni symptoma, aut morbus cutis ipsius primarius. — Si morbus internus, de quo pendeat, adest, sanari solummodo, morbo interno victo, potest exanthema; aliae sanandi viae nocent, periculumque ferunt, ut organa interna vehementer afficiantur. Si vero exanthema morbus est primarius, si nunquam cum morbo interno nexum obtinuit causalem, tamen in cutem caute procedere nos oportet. Pertinent huc imprimis:

Scabies, herpes ejusque species, tinea capitis, crusta lactea, pemphigus, leprae species, plica denique polonica.

1. Scabies, quae humorum acie, cutis impuritie, investimentis quibusdam faveri solet, nonnunquam contagio quodam provocatur — ergo morbus primarius est. Si vero scabies ex causis internis e. g. syphilide exoritur, vel si morborum internorum crisin praebet, secundaria est. Hic in cutem agi minime debet, in morbo interno nondum sublato, actiones provocantur vicariae — inflammationes pectoris, capitis, abdominis; inde pneumonia, phrenitis, neuralgiae. Quodsi morbus contagio exortus, vix inceperit, talia noxia minus timenda, atque curationem localem instituere nos licet. Ulcera dein scabiosa, quae forma, natura omnino excellunt, vicariam pro hac secretione praebent actionem.

2. Herpes quoque aut dyscrasiarum est symptoma, aut morbus cutis idiopathicus. Si symptoma tantum est, derivans a partibus internis metastasis quasi fit. Herpes iste symptomaticus sublato morbo interno perseverat nonnunquam, ita ut sit exanthema idiopathicum. Suppresso herpete symptomatico metastases ad partes internas, pneumonia, hydrocephalus, apud infantes, caries ossium efficiuntur. Inde Phthisis, haemoptysis, omnino suppurationes in organis primae seriei, inde hydrops. Sed et ubi herpes primarius est morbus, curatio universalis negligi non poterit.

3. Tineae capitis, quae iisdem e dyscrasiis trahit originem, verum et contagio quodam provocatur, suppressio, quum tot in propinquo sint organa

gravia, vicarias efficit in cerebro actiones, encephalitidem, meningitidem cum exitu in exsudationem, maniam, deliria, metastases ad organa sensuum, inde surditatem, paralysin linguae, ophthalmias vehementissimas, quas restituto tantum citissime exanthemate offendere licet.

Nec minus perniciosa

4. Crustae lacteae apud infantes, serpiginosae apud majores suppressio. Utraque, quum sint morborum internorum symptomata, certe medicaminum internorum auxilio sananda. Actiones vicariae, suppressa crusta lactea exortae et hic cerebrum ejusque membranas ac organa sensuum corripiunt.

5. Pemphigus quoque, quum similem habeat originem, similes ciet actiones vicarias. Multi urinae secretionem hic affectam offendunt. Forsan id idem de tinea, ac crusta lactea rei jus est. Certe medicamina, quae urinae augent alienantque secretionem, herbae imprimis recentes eo sensu juvant.

6. Lepra ejusque species gravium in corpore, imprimis abdomine turbationum, cacochymiae, vitae generis ineptae, aëris male constituti sequela. Humorum ad cutem depositione jam facta lepra metastasis quasi ad cutem consideranda, qua graves organorum internorum affectiones, immo mors prohibentur. Secedente vero eadem, suppressa medicaminibus externis vehementibus, morbi interni, quem ciet, in mortem exitum saepius indicat vehementissimum.

7. Plica polonica, in regionibus quibusdam

endemica jure metastasis quasi habetur. Symptomata illa affectionis organismi universalis, quae antecedere solent, evanescunt, simulac exanthema evolvitur. Quodsi haec magna materiei in capite depositio, circumcisa plica jam formata, aut suppressa, quae inceperat, secretione in capite, tollitur, actiones vicariae, quae cieri solent, inflammationes, universalis systematum, affectio, periculum, immo mortem afferre possunt. Num inflammationes, num hydrops, an paralysis exoriatur, aliave morbi species, pendet a corporis constitutione, aliisque, quae adsunt, momentis.

Suppurationes chronicae.

§. 15. Huc imprimis pertinent ulcera tam artificialia, quam naturalia. Quod ad naturalia considerandum, quoties ulcera magna, multa secernentia, vicarias pro secretionibus necessariis suscipiant actiones, eoque sensu per annos pus dent, v. c. ulcera, de quibus jam sermo, haemorrhoidalia atque menstrualia, nec minus alia, quibus dyscrasia universalis quaedam antecessit. Verum et aliae suppurationes, quarum minime patet cum morbo interno nexus, si per longum tempus jam aderant, vix supprimi poterunt, nisi aliae exoriantur secretiones in aliis partibus. Inde prudentes agunt, qui talia ulcera sanantes, fonticula in propinquo applicant, ut pro suppuratione consueta vicarient. Eadem in articulis, in organis internis, suppuratio suppressa e. g. in pulmonibus, in tubo intestinali apud phthisicos medicaminibus ad-

stringentibus semper morbum auget universalem. Febris vehementissima, inflammatio aucta, tota virium exhaustio ad mortem denique ducunt.

Idem de sudoribus localibus, e. g. axillaribus, pedum, in regione pubis, femorum, qui plerumque pro secretione aliqua vicariant, quemadmodum sudor axillaris pro pulmonum secretionibus, sudores pedum perinaei pro Haemorrhoidibus. Valetudo hic adest, perseveratque, quamdiu sudor adest. Suppresso vero eo febris, omnino aegritudo, graves nonnunquam organorum internorum evolvuntur, affectiones, quae restituto sudore locali facilius cedunt.

Similes praebet nexus otorrhoeae cum auditu, fluoris albi cum systemate uteri conditiones. Pseudoorgana si per longum jam tempus creverant, e. g. tumores cystici magni, quibus magna vitae inest vis, excisa nonnunquam nocent *).

d. Actiones specificae, quae e materiis specificis trahunt originem.

§. 16. Pertinent huc nonnullae singulares morbi species, exanthemata acuta, virus venereum.

Materia exanthematum acutorum contagiosa, incitamentum quasi specificum in organa agit, ac secundum versus id reactionem provocat febrem, quae certum temporis spatium perseverat. Febre sublata

---

*) Richter, Anfangsgründe der Wundarzneikunst. Pars. I.

organismus contagium percipiendi facultatem amisit. — Quae quidem febris pro certo tempore actio necessaria est facta. — Nisus excernendi, qui nunc intrat, tam fit vehemens, ut solitae viae excretoriae minime sufficiant; inde ad cutem depositiones, tamquam si actio quaedam necessaria esset suppressa, vel diminuta. Actio haec cutis, vicaria quasi, stadia sua dein percurrit, sensimque actionem in organa secretoria dispersit, denique evanescit. Deposito in cute ergo exanthemate, quum organismus in contagium agere desierit, organa excretoria ad crisin, statumque sanum provocandum sufficiunt. (vid. §. 4.). — Febris variolarum suppuratoria minus reactionis in contagium signum, sed ab affectione cutis nunc idiopathica pendet.

§. 17. Virus venereum, contactu indutum, per incertum temporis spatium, quin animadvertetur, moratur in corpore, cujus contagium perpiciendi facultatem semper augeri necesse est. Organismum id jam partim saltem percepisse signum primum, ulcus, ubi contigit, exstat, quo sensim extenso, hanc percipiendi facultatem, quum et virus multiplicetur, augeri videmus. Si quidem nunc spatium conceditur, excernendi in corpore nisus tam fit vehemens, ut sensim multa organa, imprimis systema cutis atque ossium participent: inde ulcera, caries, tamquam si actio quaedam necessaria esset suppressa. Hac actiones secretoriae minime certe constituto tempore desinunt, verum augentur, quia et recipiendi facultas semper augetur;

inde morbum procedere videmus, ni partim curatione, qua assimilationis, reproductionis, et inde pendentia vasorum resorbentium systemata in supremum debilitantur, ni virus intussuscipiendi per totum tollitur facultas.

e) Actiones vicariae, quae fiunt necessariae.

§. 18. Non eget disseramus, et has actiones necessarias fieri, neque cedere posse, ni aliae exoriantur actiones vicariae, ita ut aut actio primaria restituatur, aut novae fiant.

Quas quidem leges si febribus applicare velimus, quae jure vicariae systematum centralium actiones pro functionibus aliis, imprimis organorum se-et excernentium suppressis habendae, crisium cum febribus ex eo constat nexus. Sunt nil aliud, nisi vicariae pro febre actiones, quae verum eo excellunt, quod denique cedunt, ac reconvalescentiam provocant. Febris sublatis crisibus, minime redintrat, sed reagendi facultas febre ipsa post rectum temporis spatium tollitur, crises intrant, denique excretiones sensim in statum naturalem transeunt.

C. VICARIARUM ACTIONUM CUM NATURA CONSERVATRICE CONNEXUS, ARTISQUE MEDELAE.

§. 19. Patet ex his omnibus, medicum, nec minus naturam medicatricem plerumque aut provocare

actiones vicarias, aut iis repugnare, utrumque ut sanent. Jam antea mentionem feci, quoties actio vicaria solummodo tamquam actio aucta naturalis, pro minuta alia appareat ac vice versa. Haec derivatio naturae sanantis studium est, quo morbi prohibeantur exortus. Nec minus sanare vult natura, si organon secundi ordinis pro primi vicarians inducit. Denique vim medicatricem in criticis animadvertimus organorum secernentium intentionibus, quas medicum solummodo ducere necesse est.

Febris, per antagonismum genita, actione aucta sua, calore febrili, expansione, quae sequitur, in organis aucta, ergo sua ipsius natura minuitur, actionesque, quas dicimus criticas secundum eandem antagonismi legem efficit, quod imprimis observamus, si causa febris, reagendi facultatem non transgreditur, ubi medico duce non eget. Si vero majus incitamentum febrile, medicum moderari oportet. Attamen tunc quoque post aliquod tempus incitabilitas minuitur, debilitas intrat, ergo febris cedit; organa imprimis secretoria, antagonismum suscipientes, magis magisque agunt, virium harmonia, actiones naturales cum crisibus apparent. Haec de febribus, ut ita dicam, universalibus, quae ergo in se suisque actionibus causam criseam sufficientem continent. Aliter se habent febres locales, vel inflammationes, a quibus febris universalis pendet. Hic virium actionumque profundius diruta est harmonia. Multa jam opus sunt medico curante, ut antagonismus provocetur, organaque se-

cretoria incitentur, quod quidem certe antiphlogistica ita dicta methodo solummodo effici constat. Attamen nec minus in morbis chronicis, non febrilibus ad actiones vicarias provocandas antagonismum cieri videmus: Ducere tantum oportet salubrem naturae nisum. Si quidem morbus suppressa secretione aliqua exortus est, secretionem hanc aut restituere, aut aliam actionem, quae ei vicariet, provocare studemus. Ergo nostrum erit, secundum legem actionum vicariarum uti antagonismo, ita, ut alias actiones primariam aut alienam cieamus, simul consensus sympathiae conditiones observemus, inde derivemus. Methodus curandi derivans, contrastimulans, endermatica, nec minus antiphlogistica, roborans adeo inde sua nobis praebent argumenta.

VITAE CURRICULUM.

*Ego, **Ludovicus Begasse**, fidei catholicae addictus, natus sum Coloniae Agrippinae A. MDCCCX patre **Francisco Antonio**, judicii provincialis judice praeside, matre **Anna** e gente **Hoffstadt**, quibus adhuc vivis gaudeo. Primis ibidem literarum rudimentis imbutus, duodecim annos natus in gymnasio Jesuitarum, ita dicto, usque ad annum aetatis decimum octavum, dirigente Cl. **Birnbaum**, literis incubui. Tunc Berolinum, civibus instituti medico-chirurgic. Friderico-Guilelmiani jam adscriptus me contuli, ac per quatuor annos in medicis versatus rebus viros illustrissimos hos audivi:*

*Cel. **Wolff** de logice ac psychologia; Beat. **Rudolphi** de encyclopaedia, anatomia corporis humani, in specie organorum sensuum, de entozois ac de physiologia; Beat. **Knape** de osteologia, splanchnologia; Ill. **Schlemm** de syndesmologia; Ill. **Hermbstaedt** de pharmacia ac chemia speciali; Ill. **Turte** de physice, chemia et pharmacia;*

*Ill. **Link** de botanice, historia naturali, toxicologia; Cel. **Eck** de physiologia; Ill. Fr. **Hufeland** de semiotice, pathologia generali, nec minus de therapia, tam generali, quam speciali; Ill. **Horn** de pathologia speciali: de morbis psychicis ac syphiliticis; Cel. **Casper** de arte rite formulas medicas concinnandi, ac de medicina forensi; Ill. **Osann** de materia medica et de fontibus Germaniae salutaribus; Ill. **Kluge** de chirurgia generali, akiurgia, de fracturis ac luxationibus ossium, de arte fasciendi, denique de arte obstetricia theoretice nec minus practice; Ill. **Rust** de chirurgia speciali atque ophthalmiatrice; Cel. **Dieffenbach** de doctrina herniarum speciali. Dein institutionibus clinicis virorum amplissimorum **de Graefe, Bartels, Wolff, Rust, Truestedt, Juengken,** quibus omnibus summe venerandis gratias ago quam maximas, interfui.*

Studiis peractis, mense anni praeterlapsi Septembri in nosocomium Caritatis Berolinense me contuli, ubi medico-chirurgi inferioris munere adhuc fungor.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, atque examine rigoroso coram gratiosa facultate medica Berolinensi superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1. *Non habemus certum antisyphiliticum.*
2. *Morbi immateriales sic dicti non existunt.*
3. *Phthisis vera non ex pneumonia originem ducit.*
4. *Tam naturam medicatricem quam medicum lege antagonismi semper uti contendo.*
5. *Gangraena nosocomialis ad ulcera pertinacisima sananda nonnunquam prosperrimum remedium fit.*